DISSERTATIO HISTORICO-PHYSICA
DE
VICTU AEREO
seu mirabili potius
INEDIA CHAMÆLEONTIS,

Quam
DIVINI NUMINIS AUXILIO;
SUB PRÆSIDIO
DN. BENEDICTI HOPFFERI, Phil. Pract. Prof. Publ. Facultat. Phil. h. t. Decani Duca. Stip. Ephori.

Dn. Præceptoris ac Promotoris omni amoris & obsequii filialis genere pie devenerandi,
Publico Eruditorum Examini
submittit
FRIDERICUS HENRICUS CAMERARIUS,
Hala-Suevus.
Ad diem 26. Septembr.
In Aula Philosophorum Æstiva,
Horis Antemeridianis.



TUBINGÆ,
Typis MARTINI ROMMEII.

Anno MDCLXXXI

PATRIÆ PATRIBUS

Magnificis, Per-Strenuis, Nobilißimis, Amplissimis, Consultißimis, Excellentißimis, Authoritate, rerumque multijugo usu Praecellentissimis & Spectatissimis

VIRIS,

Inclytæ ac liberæ Imperialis Reipubl.

HALENSIS,

D. D.

CONSULIBUS, Totique SENATORUM Ordini, Dominis Mæcenatibus, Patronis & Evergetis atque Fautoribus suis Magnis,

Nec non

VIRIS Plurimum Reverendis, Dignißimis atque Clarissimis,

DN. M. GEORGIO BERNHARDO WIBELIO, Hal. Eccl. Consistor. & Scholarch.

DN. HENRICO KERNIO, Eccles. S. Mich. Past. Consistor. & Scholarch.

DN. JOSEPHO DAVID WIBELIO, Eccl. S. Cath. Past. Consistor. & Scholarch.

DN. MELCHIORI WENGERO, Celeb. Gymn. Hal. Rect.

DN. DAVIDI SIBERO, Eccl. S. Mich. Archi-Diac.

DN. M. JOHANNI MICHAELI BONHÖFERO, Celeber. Hal. Gymn. Con-Rect.

Dominis Mæcenatibus, ac Patronis submissa animi Reverentia perpetim Colendißimis,

Specimen hoc Academicum,

Animi æviternum devincti monumentum, Debitæque gratitudinis Symbolum


dat, dicat, dedicat,

Subjectissimus Cliens

RESPONDENS.



PROOEMIUM.



SUmmam Creatoris DEI TER OPT. MAX. Omnipotentiam & Sapientiam, non in multiplici creaturarum tantùm, quibus hoc universum completur, varietate, ſed in admirandis etiam proprietatibus, & ſtupendis effectibus relucere, nullum eſt poſt hominum memoriam tempus, nullus in tàm vaſta terrarum latitudine locus, qui non abunde teſtetur. quibus eruendis, & ſollicitâ mentis indagine in lucem protrahendis, applicare ſeſe, operam eſſe credimus, Chriſtiano homini, maximè Philoſopho, naturalium Dei operum præcipuo admiratori, perquam convenientem. Sed quod in plerisque aliis fieri ſolet, ut cum genuinis mercibus, fallaces & ſpuriæ multæ venum exponantur, quæ non attento ſatis emptori facilè imponunt: Sic inter illa naturæ mirabilia, plurima Scriptoribus, antiquis præſertim, tradita leguntur, in quibus ne micam quidem reperias veritatis. Talibus igitur larvam detrahere, & mortalium mentes inveterata credulitate exſolvere, peræque Philoſophici muneris eſſe arbitramur. Utriusque in præſentiarum ſpecimen dare nobis viſum, Chamæleontem ſub examen vocando. de quo cum duo præcipuè Scriptorib⁹ celebrentur, primò, quod *aëre tantùm vivat:* deinde quod *colores quosvis aſſumat earum rerum, quibus admovetur*: hac vice prioris veritatem indagare conabimur. Incidimus fateor, poſt majorem diſputationis partem chartæ jam illitam, in Phyſicas curioſitates *Goth. Voigtij*, ante aliquot annos in lucem datas, ubi cap. 5. de victu Chamæleontis ex profeſſo tractatur; quibus tamen paulatim inſpectis, non videbatur omittenda ſuſcepta hæc opera, quam ſatis nobis erit ſpicilegium ſaltim illius haberi. Sit ergo.

Σ. Θ.

§. 1. Antequam propositæ quæstioni expediendæ nos accingamus, prius de ipso Chamæleontis nomine, tum in quo genere sit animantium, & ubi reperiatur, nonnihil est monendum. Vulgo putant, græcum esse nomen, derivatum à χαμαὶ & λέων, quasi humi serpens Leo. *Scapula* pumilum leonem interpretatur. Unde ridet hanc appellationem *Tertullianus*: *Chamæleontem qui audieris, inquit, haud ante gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone. At cum offenderis apud vineam fere sub pampino totum, ridebis illico audaciam, & Græciam nominis.* i. e. ut explicat *Marcilius*, audaciam Græciæ solitam, in nominibus fingendis; cum nihil habeat ad leonem accedens. Fuerunt tamen qui rationem nominis ex similitudine peterent, quod capite leonem æmuletur; Alii quod caudâ, ut *Gesnerus*; Alii, quod instar leonis, rapinam & venationem in alia animacula exerceat, ut *Licetus* sensit. Sed parum appositè. Hinc *Bochartus* putat, hoc animal à Pœnis in Africa dictum גמר *Camelum* (cum & Arabes Camelum Judaicum illum appellent) indeque factam vocem græco more inflexam χαμαιλέων; quippe ut vituli caput & pisciculi corpus, ita Cameli gibbum ab Arabibus illi tribui, quia Cameli instar dorsum habeat tuberosum.

De Pallio c. 4.

Hieroz. part. 1. l. 4. c. 6.

§. 2. *Synonymiam* quod attinet, nullum occurrit aliud nomen, quo apud græcos & latinos exprimatur. *Gesnerus* animal dicit esse peregrinum ex Africa, ac proinde in aliis linguis non habere nomen. Sed quæ consequentia? quod animal saltim in una vel altera regione generatur, id in aliis peculiari nomine non appellatur. E. Draco, Elephas, Hippopotamus, quoniam extra Europam natale solum agnoscunt, nullis redduntur vocibus Europæis; quod experientiæ repugnat. Apud Hæbreos Chamæleontem כוח appellari, quod extat *Lev. 11. v. 30.* existimarunt in illius loci versione *Græci interpretes, & Latinus vulg.* pluresque illos secuti. Quamvis *Bochartus* ex nomine, quod à robore inditum, aliud intelligit lacertorum genus, Guaril apud Arabes appellatum, serpentibus valde infestum. verum autem Chamæleontis nomen Hæbraicum existimat esse תנשמת, quod eodem versu occurrens, ortum habet à rad. נשם *spirare*, quod

quod Chamæleon os diducat hiatu perpetuo, atque spiritu aërem ducat. licet alii *talpam*, nonnulli *Scolopendram*, absque probabili tamen ratione, sint interpretati.

§. 3. In lacertorum genere Chamæleontem constituerunt *Aristoteles*, *Plinius* & plerique recentiores. describitur ab illis quod sit *animal quadrupes, oviparum, figura & magnitudine lacertæ, deforme, gibbosum & macilentum, cauda prælonga instar muris tenui, timidum ac lente progrediens, quodque colorem sæpius mutat.* Quæ singula non opus esse putamus authorum testimoniis confirmare, poteritque harum rerum curiosus Iconem ejus inspicere ap. a) *Bellonium*, b) *Breuningium*, & c) *Gesnerum*. Illud tamen breviter attingendum, ab d) *Euseb. Nierenbergio* Chamæleontem perpetuo ferum dici, qui non possit cicurari; quod etiam e) *Goth. Voigtius* in descriptionem hujus animalis inserendum putavit. At falsum hoc esse, non modo testis est *Breuningius*, qui mundum animalculum esse dicit, in sinu quoque sine molestia gestandū; sed etiam f) *Pet. della Valle*, qui vivum Chamæleontem vidit in ædibus Rocchi Andreani, Veneti Mercatoris Melitam insulam incolentis, deque illo hæc scribit. *Vidi bene e da presso, un Chamaleonte vivo, che un fanciullo di casa teneva molto domestico, legato con una cordicella per suo solazzo.*

Hist. Anim. 2. 11.
Hist. nat. 8. 33.
a) Observ. de plus. Singul. l. 2. c. 60.
b) Orient. 2. Meerf. c. 17.
c) de Quadr. Ov. 2. 5.
d) hist. Nat. 7. 40.
e) Phys. Curios. c. 5. sect. 2. §. 4.

§. 4. Locum ubi gignitur, Africam quidem agnoscit *Plinius*, sed frequentiorem Indiæ tribuit, nempe Orientali; quod attestatur g) *Linschotanus* & *Pet. della Valle*. *Bellonius* in hortis prope Cairum & ripas Niloticas plurimos observavit. conscendunt namque sepes & senticeta, ut internecinos hostes effugiant, viperas atque cerastas. In *Palestina* frequenter occurrit, & visitur talis in *Cospiano Musæo*, captus circa Ramam 1664. h) *Pigafetta* in regni Congiani Provincia, quæ dicitur Bamba, i) *Andr. Corsalus* in Socotora, Africana Insula, sistit. k) *Canonherius* etiam Brasiliam memorat. Mexicanos dari, comprobat ille, quem describendum sibi sumsit *Joh. Faber*, à quo diffirentiæ simul aliquot observantur, sed non ita magnæ, inter hunc & Africanum intercedentes.

f) Viagg. part. 2. p. 660.
g) Navigat. f. 67.
l. c.
l. 2. c. 34.
h) Relat. à J. Fabr. de Anim. Mex.
i) ibid.
k) de Doctr. cur. 2. 2.

§. 5. In Europam subinde ad αὐτοψίαν accersivit hæc animalcula curiosa quorundam industria; licet ob aërem frigi-

 diuscu-

Gassend. in vit. Peir. p. 203. diusculum, vita plerisque fuerit parum longæva. *Peirescius* ex duobus, quos primum, & octo, quos deinceps simul obtinuerat ex Africa, nullum potuit salvare, tametsi caveam, quibus includebantur, pannis operuerit, in tepidario collocaverit, ad Solem interdum exposuerit, summumque adeo studium adhibuerit, ut experiretur, num aliqui superare hyemem possent. Quod etiam accidit illi, quem Seren. Princeps *Ludovicus*, *Hassiæ Landgravius*, à Magno Magistro Ord. S. Johan. Hieros. dono acceptum, artulit secum Darmstadium.

§. 6. Naturam & qualitates hujus animalis quod spectat, non de victu saltem, sed aliis quoque eidem competentibus, mira somniarunt antiqui. Quale illud est, quod in peculiari de Chamæleonte libro tradit *Democritus*, accipitrem nempe, avem rapidissimam, à Chamæleonte humi reptante, si forte eum supervolet, detrahi, & cadere vi quadam in terram, cæterisque avibus laniandum sese sponte sua objicere; & quæ alia deridicula ibidem sequuntur. Sed fidei certioris putamus illud à *Leone Africano*, superioris seculi Scriptore, relatum: *Cum venenatorum Serpentum hostis acerrimus sit Chamæleon, ex illis unum quempiam speculatus in umbra, captantem auras, aut in radiis apricantem, in eam scandit arborem, quæ illi imminet; Unde ex ore filum demittit, araneorum more, in cujus fili extremo guttula est margaritæ splendore, ea tactus in vertice serpens moritur. Illud etiam admirabilius; si ad perpendiculum nequeat filum demittere, quod minus ad amussim respondeat ramus, in quo est, inferiori loco, ubi cubat serpens, ita filum corrigere pedibus anterioribus, atque ejus tractum temperare, ut ad lineam recte descendat.* Quæ *Scaliger* etiam refert, non aliunde, quam à *Leone* desumta, licet pro more suo crebro dissimulet authorem. Nec meminimus apud alium extare, nisi recentissimum quendam Scriptorem, in utraque Ægypto peregrinatum, *Gab. Bremondum*.

(Marginal notes: ap. Plin. 28. 8. conf. Gell. Noct. Att. 10. 12. — Afric. part. 9. — de Subtil. Exerc. 194. — Viagg. nell' Egitt. sup. & inf. 1. 22.)

§. 7. Mirum vero quid Rabbinis venerit in mentem, ut Chamæleontem pro ave habuerint, quæ aëre vescatur, indigitata voce *Lilith*. Esa. 34. v. 14. ceu observat *Bochartus*. Quos ut alibi, sic etiam in hoc, nimis religiose secutus videtur Episcopus *Abulensis*, hebræum כח Lev. 11. explicans. Non ineptam rationem, quæ forte nonnullos in hunc errorem induxerit, tradit

(Marginal notes: l. cit. — Comment. ad h. l.)

dit

dit *Laur. Legatus: legerunt,* inquit, *animal hoc inveniri quandoque super ramis viridantium fruticum & virgultorum, cujusmodi est Rhamnus, ubi libenter moratur: Inde crediderunt, animal esse volatile, & confuderunt eum ave Paradisiaca, quæ nonnullis audit Chamæleon aëreus.* Mss. Cosp. 1. 8.

§. 8. Chamæleontem aëre nutriri, qui scripserunt, vix dari credimus *Ovidio Plinioque* antiquiorem: & illius quidem versus hi sunt: Metamor. l. 15.

Id quoque, quod ventis animal nutritur & aura,
Protinus assimulat, tetigit quoscunque colores.

Plinii verba hæc sunt: *Chamæleo celsus, hiante semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento.* Hist. nat. 8. 33. Cum quo paria facit, ejus etiam in aliis exscriptor, *Solinus.* Polyhist. c. 42. Inter Scriptores Ecclesiasticos *Tertullianus* consentit: *Chamæleon, jejunus semper & indefectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus.* De pall. c. 3. p. 134. ed. Rigalt. Inter Arabes *Aldamirius*, quem mss. legit *Bochartus*, eandem traditionem amplexus est, cujus verba sunt ex Arabico versa: l. cit. *Thinsemet (Chamæleontis hoc nomen est) alitur halitu, & frigido aëre vescitur.*

§. 9. Inter propiores nostro tempori *Bartholom. Anglicus* est, qui tribus ab hinc seculis vixit. de rer. propriet. 18. 20. Is integro capite de Cham. tractat, adducendo sc. Aristotelis & Plinii verba, adductis autem hæc solum addit: *Dicitur autem Cham. vivere solo aëre, sicut Talpa ex terra, & Halec ex aqua, & Salamandra ex igne. Versus:*

Quatuor ex puris vitam ducunt Elementis,
Chamæleon, talpa, maris halec, & Salamandra.
Terra cibat talpam, flammæ pascunt Salamandram,
Unda fit haleci cibus, aër Chamæleonti.

Sed magis mirandum, recentiores, ubi jam ab aliquo tempore, per remotissimas navigationes & itinera, non Africa solum, sed pene totus Oriens perlustratus, veteribus non dissensisse. *Pet. Crinitus* hæc habet: de hon. Discipl. 18. ult. *de cham. vulgatum est eum ex elemento aëris duntaxat constare.* quod tamen non sic acceptum ab eo videtur, quasi ipsa hujus animantis substantia sit aërea; id enim nimis absurdum esset; sed quod aëre nutriatur. Trahitur in hunc censum à quibusdam *Hugo Linschotanus* dum ita scribit: *Chamæleon-* l. cit.

leontum, quos solo aëre victitare fama fertur, in India numerus frequens est, qui tamen innocui & nullis infesti oberrant. Sed satis hic sibi videtur cavere voluisse, ad famam provocando, nihilominus incurrens *Joh Fabri* invectivam, scribentis; *Adeo difficile est magnis quoque viris, qui jurarunt in verba Magistrorum, veteribus in manifesta etiam re falsis, obloqui, ut hoc tractantes adversus quodammodo stimulum calcitrare videantur.* Tantoque magis hic ipse miratur etiam *Paludanum*, Medicum in animalium historia versatissimum, huc inclinare. De Chamæleonibus in Bamba, Congiani regni Provincia, narrat *Phil. Pigafetta*, eos in altissimorum rupium cacuminibus habitare, nec ut reliqua animalia herbis nutriri, aut aliis fructibus è terra nascentibus, sed solo aëre sustentari.

lib. cit. p. 242.

§. 10. Quando autem aëre solo nutriri aut vivere Chamæleontem, ab adductis authoribus affirmatur, non existimamus, quenquam illorum de sola aëris substantia, intelligere hoc voluisse: sed quatenus ea simul comprehendit exigua corpuscula, per aërem diffusa, quæ pro ratione temporis vel locorum modo tenuiora, modo densiora esse solent, plerumque tamen invisibilia. Hinc fuerunt, qui hoc expressè ad aërem roscidum referrent, seu ad rorem, ut Gesnerus & Linschotanus. Si *Cardano* fides, quidam Chamæleontem obversum ad solem haurire radios, eosque hiantem sequi tenuerunt. quorum in numero censere licet *Leonem Africanum*, qui ex radiis solaribus hoc animal nutriri scribit: forte secutus in hoc Arabes suos (fuit enim hæc ipsi lingua vernacula) qui inter cœteras appellationes Chamæleontis, dixerunt etiam Magusæum sive Magum, quia videtur Solem adorare, cum ad illum perpetuo obvertatur, observante Bocharto. De Persis enim, ac potissimum Magis, qui religionis inter illos antistites erant, quam addicti fuerunt solis cultui, satis est ex antiquis Scriptoribus manifestum. Alii denique odores, seu potius halitus odoriferos in alimentum Chamæleonti assignarunt.

de Subtilit.

Afr. part. 9.

apud Kekerm. Syst. Phys. 3. 5.

§. 11. Primum autem videbimus quid afferatur vel afferri possit, pro victu aëreo Chamæleontis. Ex quibus potissimum meritò habetur argumentum ab experientia desumtum. De

qua,

qua, verba *Scaligeri: quod aër illi pro cibo sit aliquandiu: ex eo patet: quod & annum integrum ajunt inediam tolerare, & ubi exsepit hiatu auram, & occlusit malas, turget ei venter.* Cui concinunt *Bellonius*, qui etiam supra annum vivere posse testatur. Pet. Van den Broek, Belgæ, relationem hac de re *Senguerdus* exhibet. Exercit. 196. Obs. l. 2. c. 25. & 60. Exerc. Phys. 39.

§. 12. Secunda ratio petitur ab exemplis aliorum animantium, quibus per plures septimanas, menses, vel annum, nihil cedit in victum. De Serpentibus fidem facit *Bellonius*, postquam enim de Chamæleonte dixerat, seqq. subdit: *Neque hoc creditu est difficile: Vidi enim Serpentes diversorum generum, decem mensium spatio vitam ducere, quibus nihilquicquam, quod ederent, subministratum fuit. Nard. Ant. Reechus* de atroci quodam serpente Americano Teutlacit Zauhqui dicto: *Audio à multis, qui eum Serpentem domi alere solent, atque educare, annum integrum durare absque cibo ullo potuque. Kenel. Digby* viperas observavit tenellas, pollicis longitudine, quippe vix ovis exclusas; quæ licet cucurbitæ inditæ fuissent, quam papyrus sepserât, variis distincta foraminulis acu factis, quibus aër ingrederetur, tamen intra sex, octo, & decem menses ita creverunt magnitudine, ut incredibile videretur. Harum unicum fuit alimentum aër, quo nihilominus intra anni spatium pedem longitudine superarunt, debitam ex proportione crassitiem & gravitatem habentes. Rerum Med. Nov. Hisp. 9. 17. De Sympath. p. 40.

§. 13. Trahuntur huc quoque aves Paradisiacæ seu Manucodiatæ, de quibus asserunt incolæ regionum ubi vivunt, illas aëre vel rore victitare. Quod ambabus arripit *Cardanus*. Nec multum abit *Melch. Guilandinus*, qui de hac avicula brevem edidit disceptationem: *cibus*, ait, *ei solidior nullus: Si interiora spectentur inane nihil reperitur, sed totus venter inferior adipe tantum expletus conspicitur.* Et velificantur probabilitati hujus sententiæ duo fundamenta; 1. quod aves illæ carent pedibus, quæ *Cardani, Scaligeri, Gesneri, Guilandini*, constans opinio fuit. Quod nec 2. vivas ab ullo mortalium in terra conspectas, solum mortuas in humum decidere, & casu repertas sanctissimè ab incolis asservari, *Guilandinus* testatur. Qui etiam putat hanc esse veterum Rhyntacem avem, in qua nihil reperitur excre-

menti, sed interna omnia sumine atque adipe plena visuntur, atque proinde aëre eam, & rore solum nutriri, omnes mortales arbitrentur. Inter antiquos *Aristoteles* de Echino narrat, quod intervallo anni absque cibo degat. De cane lævi, quadrupede Indico, videantur quos *Voigtius* citat. *Bustamantinus* Compluti se vidisse narrat Palomillas, quas vocant Hispani, volitantes, & nunquam terram contingentes, qui vapore nutriantur. Hulpalim, aliamque bestiam quam Hayt nominant Indi, nullo unquam cibo ali, refert Historiæ Indicæ Scriptor. Quibus adduntur ab aliis ursi, taxi, glires, hirundines, muscæ, cochleæ, quæ animantia plerumque tota hyeme somno quasi sepulta jacent, cumque nihilominus vitam agant, quæ sine nutrimento consistere nequit, attracto nutriri aëre præsumendum.

Auscult. mirabil.

De Animal. Script. S. 2, 1.

Theuet. Cosmogr. 1, 11. 4. v. Paræus op. Chirurg. 24. 22.

§. 14. Tandem ab hominum exemplis subsidium petunt, eorum scilic. qui diuturnam inediam aliquot septimanarum, mensium aut, annorum, sine noxa tolerarunt. farraginem ingentem authorum, qui talia congesserunt, refert *Voigtius*, Quibus adde *a) Petr. Gregorium Tolosanum, b) Fort. Licetum. c) Paul. Zachiam & d) Joh. Imperialem.*

a) Synt. art. mirab, 35. 10.
b) De his qui diu sin. alim. viv. l. 1.
c) Q. Q. Med. Leg. l. 4. T. 1. qu. 7.
d) Nott, Berich. 1. 19.

§. 15. Tertium argumentum suppeditat rationabilis modus, quo fieri posse talem abstinentiam arbitrantur. Et hujusmodi quidem modorum à diversis diversi proponuntur, sic, ut *Licetus* in lib. laudato plusquam 27. opiniones, inter se omnino varias ac discrepantes, ennarraverit, tam Medicorum, quam aliorum Sapientum. Ut enim potiorum saltim mentionem faciamus, tam portentosæ inediæ causas indagantium, sunt qui putant, tales, dum alimentis abstinent, inspirato aëre nutriri, seu exhalatione magis per aërem sparsa: vel pituita intra corpus antecongesta: seu succo melancholico potius in nutrimentum postea cedente: vel pinguedinis colliquamento: vel sanguine menstruo benigno tantisper in homine latitante. Quidam assumpto pharmaco, vel consuetudine hoc posse præstari, crediderunt. Nonnulli ad Sympathiam, vel individualem proprietatem, aut ecstasin, aut astra retulerunt. Denique Angelorum vel Cacodæmonum opus hic agnoverunt alii.

l. cit.

§. 16. *Licetus* pro se talem amplectitur. Cum nutritio fiat ob deperditionem humidi radicalis, quod à calore nativo indefi-

desinenter absumitur, necessitas talis nutritionis auferri poterit, quandocunque auferetur absumtio humidi radicalis; hæc autem tollitur, posita æqualitate caloris cum humido, ut hoc ab illo non superetur, aut nonnisi parum, h. e. quando calor nativus adeo æqualis evadit humido, & vice versa, ut neque calor agere possit in humidum, neque humidum à calore pati. Accommodatur huc à quibusdam Aristotelis dictum, quod frigida cibo faciliùs careant. Cum igitur tales calorem habeant debilem, concoctionem non tam feliciter & cito perfici, ac per conseq. novo alimento facilius posse carere. Unde senibus facilior & longior est tolerantia famis, quam juvenibus, prudenter hoc attendente *Dante Aligerio*; qui describens Comitis Ugolini & filiorum mortem ob famem, filiorum minimum ante omnes occidisse, mox grandiores natu refert, ultimo loco patrem. *Bustamantinus* existimat, ab ipso aëre procedere posse nutritionem, rationem adducens, quod aër ejusmodi sit naturæ, ut possit condensari. cujus exemplum petit ab adamantibus apud Luxenburgios, qui novos generarint: aërem igitur circumstantem vi petrifica condensatum fuisse. *Sic & Chamæleon*, inquit, *similem sibi substantiam laxam & mollem reponere potest. Chamæleon aëreus naturæ prædominio, animans plus aliis frigidus; ex aëre substantiam sibi alterat conformem, condensato eodem, in aquamque converso, mucorem & viscidum succum tandem, quo alatur altrice virtute.*

De part. Anim. 4. 4.

L'infern. c. 33.

de Animant. S. Script. l. 2. c. 1.

§. 17. Ab adversantium parte, quæ negat Chamæleontis aëreum victum, aut omnimodam à cibis abstinentiam, haud ineptè sequentia in contrarium moventur. Ac primo quidem eandem experientiam pro se militare contendunt. Landi Equitis testimonium, qui dum in Syria esset, Chamæleontes plures observavit, à *Scaligero* relatum, cum aliis non semel sit laudatum, lubens omitto. Nec *Bellonii*, *Breuningii*, *Peirescii*, minus tritum est. Addamus igitur alia. Crescentius de Crescentiis Nobilis Romanus, qui animal hoc millies præ manibus habuit, dum ex Ægypto Hierosolymam tenderet; data opera multoties id observans, comperit, non verè absque ullo nutrimento vivere, aut aëre solo, sed muscas ingerere. Diligentius

ap. Zach. Q. Q. Med. Leg. l. c. n. 11.

in Epist. ad J. Fabrum.

quoq; id ipsum observavit *Franc. Niedermajer*, Medicus Hassiecus, cujus verba de Chamæleonte caveæ incluso merentur hic legi: *claustrum illius illinebamus melle, aliquando Saccharum eidem inspergebamus, ut muscæ allectarentur, quarum ubi una forsan eidem appropinquaret, quatuor insistens tunc pedibus suis corpus commovebat, linguam exerebat longam, flavi coloris, exilem, sed in apice latam ac rotundam, caputq; aciculæ magnitudine & forma adæquantem, & tametsi in omnibus actionibus suis animalculum hoc esset tardissimum, in sola tamen muscarum venatione mira præstabat agilitate. Nam temporis quasi momento linguam vibrabat, & ejusdem extremitate muscam agglutinabat, quam illico devorabat.* Idem experti sunt Curiosi *Parisienses*, in illo Chamæleonte, quem postmodum in Bibliotheca Regia dissecuerunt. Et Europæis priores, Arabes, pridem hoc observarunt, ut patet ex eorum ζωογράφοις, *Damir & Algazel*, quorum testimonium utraque lingua exhibet Sam. *Bochartus*.

Descript. anatom, d'un Camel. &c. de qua le Journ. des Sçau. An. 1669. l. cit.

§. 18. Secundò probatur hoc ipsum, ab instrumento capiendæ prædæ alimentariæ destinato, quo natura Chamæleontem provide cumprimis instruxit. linguam intelligo, quæ nulli facilè, vel paucis animalium, tam insignem usum præstat, quàm Chamæleonti, cum reliqua partim celeri volatu, aut cursu, partim robore corporis & rapacitate unguium, partim oris & dentium vi, necessarium ad trahendam vitam victum obtineant; Istud, cum ob tardum ingressum, segnitiem, & imbecillitatem, prædicta ratione consulere sibi haud possit, linguam accepit tam longam, tamque celeris motus, ut insecta pro lubitu possit venari. Dedit ejus præ cæteris accuratam descriptionem diligentissimus Scriptor, *Bellonius*, quem sua loquentem linguæ audire juvat. *Quand les Chameleons veulent manger, ils tirent leurs langues longues quasi de demy pied, rondes comme la langue d'vn oiseau nommé Pieverd, semblable à vn ver de terre: & à l'extremitè d'icelles ont vn gros neud spongieux, tenant comme gluz, duquel ils attachent les insectes, sçauoir est, sauterelles, chenilles & mousches, & les attirent en la gueule. ils poulsent hors leurs langues, les dardant de roideur aussi vistement, qu'une arbaleste ou un arc fait le traict.* Non dicam de admirabli linguæ structura

Observ. 2. 34.

(ver-

(verba sunt *Auctoris Ephemeridum* Gallic.) quam dimidium pedem extra rictum *pro capiendis muscis projicit, eamque illico mira celeritate retrahit.* Et tamen idem ille Chamæleon in Bibliotheca Regia dissectus, licet majoribus annumerandus esset, pede uno non erat longior. Ergo sola lingua hujus animalis dimidiam longitudinem totius corporis exæquat. Quamvis ulteriùs pedalis prope longitudinis *Peirescius*, & cubitalis *Damirus* eam fecerit, apud *Bochartum*. Hujus certè intuitu nomen apud Arabes accepit *Chirba*, quasi jaculatricem dicas, nam *Charba* est jaculi aut brevioris lanciæ genus. l. cit.

§. 19. Alterum instrumentum, non minoris in capiendo cibo usus, natura quoque Chamæleonti donavit, videlicet dentes, de quibus ita *Gassendus*: *sunt porro etiam Chamæleoni dentes eleganter dispositi; non ut aërem sanè deterant, sed ut correptum cibum mandant.* Cui calculum adjicit doctissimus *Legatus*, nisi quod speciatim adjungit, asperitates illas pinnatas continui ossis, & instar serræ incisi, quod maxillis incumbit, verè dentibus assimilari. (*Sembrando veramente denti le asprezze merlate di quell osso continuo, & inciso à quisa della sega, ch' egli hà nelle mascelle.*) Vit. Peiresc. p. 204. Descr. del Mus. Cosp. l. 8.

§. 20. Ex Anatomia quoque hujus animalis deprehensum est, partes internas recipiendo & concoquendo alimento destinatas, ventriculum nimirum & intestina, neutiquam illi deesse. Quin & in ejus Stomacho, juxta *Bellonium*, & in excrementis juxta authorem Ephemenidum, muscæ non solum, sed alia quoq; insecta sunt reperta. nec minus notabile, quod observavit laudatus jam Fran. Nidermajer: *cum nunquam bibat, rarissime edat, mirum tamen videri debet, in cavea illa excrementa semper aliqua reperiri, parva, magnitudine grani canabini, nigricantis & viridantis coloris, ab alvo subinde egesta.* Cum igitur nihil à natura frustra factum credendum sit, nec ex nihilo prodierint ista excrementa, cur omnimodam abstinentiam Chamæleonti tribuamus? Ep. cit.

§. 21. Ad objecta aliorum animantium exempla respondetur, eorum pleraque sublectæ esse veritatis. De Manucodiata tamen fatemur, ut illum ictum penitùs evitemus, certiorem adhuc

huc experientiam posse desiderari, puta, quod cibum ipsa capere visa sit, vel in ipsius ventre aliquid cibi fuerit repertum. Quamvis enim *Altrovandus* ipsis solidiori cibo, insectis scil. tam volucribus, quam apteris, pro cibo opus esse statuat, id tamen rem nondum conficit. De potu tamen, quod bibant aquas salubriores, incolæ Moluccarum testati sunt quærentibus nautis

Auct.rer. Ex. Batavis apud *Clusium*. Apodes illas esse de multit quæ in Europam allatæ falsum est, & si eosdem incolas Moluccanos modo citatos audiamus, de omnibus. Sed si daremus etiam hoc, nondum tamen sequeretur, victum in terra non quærere Manucodiatas. Quamvis *Cl. quidam Vir.* qui hanc avem peculiari dissertatiuncula consideravit, id arbitretur scribens: *Necessarios Manucodiatis pedes esse, demonstro inde. Victum sc. non tam in aëre quam terra, ut supra probabatur, quærunt illæ aves. Hunc sine pedib⁹ comparare sibi pastum posse Manu codiatam avem, avem, inquam: ne cæcus*

Itin. Or. f. m. 204. *quidem credat.* Sed quid si Nobil. *Mandelslo* narratio vera, quam recitaverat priori capite, scribentis de insulis Moluccis: Es lassen sich hier am meinsten die Paradis-Vögel sehen/ welche weil sie keine Füß haben/ in der Lufft schweben/ und sich mit etlichen Fe-

Rer.Medic. N. Hisp. 9, 6. dern an die Bäume hängen: cum quo consentit *N. Ant. Recchus: Pedum loco pennas fulvas sortitæ sunt, quarum usus est, (si usquam volatu cessant) arboribus appendere, quando consedendi sunt impotes.* Multo minus autem, ex aëre nutriri inde convincitur, quod à nullo mortalium in terra conspectæ sint. Refellit enim hoc iterum relatio incolarum, asserentium, eas incedere, volare, versari in silvis, incedere, non sine ordine tamen, catervatim. Sed ponamus & hoc, nec sic tamen aëre nutriri, necessum erit, cum ipse *Recchus*, qui credit apodes, non id audeat penitus asserere: *rore vivit, vaporibusque, ac fortassis animalibus parvulis ac pene nullis, nisi quæ sunt in aëris parte excelsiori, providente natura, ut quæ nonnisi in aëre pendere poterat, nullo, aut ibidem tantum parato alimento, uteretur.*

§. 22. Exempla reliqua quod concernit animantium, quæ sine victu solidiori nutriri putantur, quale Echinus Aristotelis, canis lævis Scaligeri, Hulpalis Theveti, Palomillæ Bustamantini, &c. cum de illorum natura & proprietatibus parum adhuc

huc ex fide dignis authoribus constet, non putamus ad evincendam inediam Chamæleontis valide satis adhiberi. Si quid enim tale per αὐτοψίαν idoneam, & à pluribus factam innotuisset, non apud Scriptoret tantùm illarum regionum, sed & Physicos, & historiæ naturalis explanatores, consignatum haberemus. De gliribus autem, ursis, taxis, erinaceis, cancris, muscis, hirundinibus &c. quid sentiendum sit, & quomodo nihil hac in parte probent, docet præter laudatum *Voigtium, Joh.* De aër. &
Nic. Pechlinus. de Echino contrarium habet ipse *a) Aristot.* alim. de-

§. 23. Ad copiosam denique exemplorum segetem, illorum scil. hominum, qui diutino jejunio nobilitati sunt, id primo reponimus, non pauca ex illis plus famæ quam veritatis habuisse. Et fraudis quidem, quæ in nonnullis intercessit, testes sunt minime suspecti, *Jov. Pontanus* & *Ant. Panormita.* Referunt enim fuisse quendam Antonium Picentem tempore Alphonsi Regis, nobilitatum, quod per 40. dies & noctes jejunare ferebatur: qui Italiam, Siciliam & Hispanias compleverat nomine sanctitatis & abstinentiæ, pluribus in locis à custodibus cella inclusus & observatus, si ederet vel biberet, ut angelos ipsum visitare, opinarentur: verum interius illi fuisse candelas crassiores fistulatas, & in fistulis cannarum inclusam tacitè farinam, infartam contritis phasianorum ac caponum carnibus, saccharo & aromatibus conditis, & Cingulum fistulatum plenum nectere, quod hippocraticum vocant, quibus epulis clanculum vesceretur. Quibus similia recenseri ab *Ænea Sylvio & Spiegelio*, tradit *Tholosanus.* Unde etiam Cl. *Velschius* prodigiosus illas plurium annorum inedias, quas hic illic scriptores tradunt, impossibiles, adeoque mera esse figmenta & imposturas, judicavit. Et ratio non levis est ex eo, quod tales rursus post inediam absolutam, cibis usi fuerunt; cum tamen certissimis constet exemplis eorum, qui per aliquot saltem dies tulerunt inediam, alimenta postmodum vel prorsus non, vel difficulter admittere potuisse, jejuno intestino per hoc temporis intervallum cohærescente. Cujus contractionis exempla inter alios ex Samsoni & Borelli relatione profert *Cl. Schröckius.* Sed nolumus tamen allatis supra documentis fidem promiscuè derogа-

fect. c. 3. & 5.
a) de part. anim. 4. 5.
de Serm. 2. 16.
de Dict. & gest. Alph. 2. 9.
Synt. art. mir. 35. 10.
Ephem. Cur. A. 111. obs. 35.
Schol. ad Hellwig.

observ. Med. physs. 73. rogare, præsertim illis, quæ gravium Virorum & Medicorum ex attenta inspectione hoc asserentium, testimoniis sunt munita, & ubi magnates ipsi, ne quid accideret imposturæ, caverunt. Quale quid contigit in puellæ Spirensi, qnæ per aliquot annos
Ep. Med. 2. 27. Hist. Med. mir. l. 7. omni cibo potuque abstinuerat cujusque historiam *Langius*, & *Horstius*, & peculiaribus libellis *Ger. Bucolidianus*, Medicus Cæsareus & *Sim. Portius* memorarunt.

§. 24. De modo igitur & ratione, qua talis inedia processerit, quod erat tertium affirmantis sententiæ argumentum, nunc aliquid monere superest. Id quod promptius fortè præstare liceat, in opinionibus allatis explodendis, quam vera & sufficienti proponenda. Potissima fuit *Liceti* sententia, quam suis, tamen difficultatibus premi, breviter ostendemus. Quod is igitur necessitatem nutritionis deducit ex absumtione humidi radicalis à primigenio calore, putamus causam in adæquatam pro adæquata posuisse: Quia non ob id solum nutritione eget animal, sed multas alias ob causas, præcipuè vero ob assiduam spirituum deperditionem, & diffluentiam, in quibuscunque actionibus edendis, ut in respirando, loquendo, videndo, aut quomodocunque sentiendo, nec minus in imaginando, ratiocinando, potissimum autem in movendo corpore laboribus, aliisque exercitiis. Quantumvis igitur nativus calor adeo humido radicali æquetur, ut in ipsum nullo modo agat, tamen necessitas nutritionis non cessabit, utpote qui reparatione spirituum indigeamus, cum in quibuscunque actionbus & functionibus calorem ipsum, & spiritus absumi necessum sit.

l. cit. §. 25. *Paul. Zachias*, qui contra *Licetum* paulo fusius hoc argumentum tractat, præter adductam generalem rationem, alias quoque speciatim oppugnat, à nobis brevitatis studio prætereundas. Ipse vero tandem quorundam sententiam, *Cardani*, *Jouberti*, *Epiph. Ferdinandi* affert, & admittit, ut probabiliorem, quod tales abstinentes nutriantur ex humore crudo ac pituitoso, in ipsorum corporibus aggregato. *Hunc enim*, inquit, *humorem non ad alium potiorem finem natura progignere intendit, nisi ut deficiente interni alimenti copia, ob externi defectum, aut quomodocunque, ipse in caloris nati-*

vi

vi pabulum & alimentum facessat. Addit deinde aliquot conditiones, quæ concurrere debeant, ut hoc alimento natura sit contenta, nec indigeat externo. Primo Calor nativus non acer nec validus, sed debilis fit, oportet, saltim respectu copiæ, & qualitatis crudorum humorum. Deinde quia famis causa, indesinens etiam spirituum effluvium est, idcirco in talibus, ut longiori tempore, quam aliis licet, tolerare famem possint, constrictio etiam pororum cutis concurrere debet, ex qua calor minus sit dissipabilis. Imo nova humorum congestio ex evaporatione evenit, constricta cute; incrassantur enim, si qui vapores ad cutem elevantur, & ad interna denuo remeant. Ad ultimum necessarium putat, ut pituita, crudique illi humores & viscosi, externi alimenti vicem subituri, habeant in se humidum quoddam aëreum & unctuosum, & quod calori non aliter, quam oleum lucernæ flammæ, pro pabulo succedat: absque hoc enim esset, potius ipsum calorem extingueret sua copia & frigiditate, & aquea humiditate. Ac illud quidem quod de poris dictum, etiam *Sennerto* arridet, qui talia corpora pene indissolubilia, nihilque aut parum ex illis exhalare statuit. Eoque hoc credibilius est, quod, si *Sanctorii* experimentis standum, tantum occulte unius diei excursu, sanum hominem exhalare contingit, quantum per alvum dimidio mensis, licet quotidie coctas & consistentes fœces semel excernat. Inst. Med. p. 320. de Stat. Medic. Sect. 3. aph. 10.

§. 26. Qæamvis autem sententiam hanc rejiciendi, donec alii meliorem suppeditent, nihil causæ nobis sit, nolumus tamen inficias ire, causas nonnunquam occultas, vel plane miraculosas, in uno vel altero exemplorum, quæ laudari solent, adfuisse. Deus siquidem OPT. MAX. licet in Ecclesia dudum plantata, non amplius miraculis corda hominum movenda duxerit, aliquando tamen & extraordinariè, potentiam suam ad suetas naturæ leges neutiquam alligatam esse, luculenter demonstrat: Idque inter alios, etiam hoc procul dubio fine, ut sapientes hujus mundi, qui vana elati scientia, rerum omnium causas reddere se posse gloriantur, confundat.

§. 27. Ex quibus omnibus non obscure patescit, quid de

oppo-

oppoſita ſententia, præprimis autem exemplis, quibus fulcitur, ſit habendum. Cum vero nihilominus ea, quæ verè Chamæleonti tribuuntur, ſingularia ſatis ſint, & conſideratione digna, igitur paucis adhuc aſſertionibus, quid vero propius videatur, expediemus. Primùm igitur contradicimus illis, qui perpetuam ejus ab omni cibo abſtinentiam defendunt: moti præprimis indubia graviſſimorum Virorum experientia, velut ſuperius oſtenſum. Secundò Chamæleontem in ea claſſe animantium conſtituimus, quæ non cibi ſaltim parcioris ſunt, ſed etiam, ubi neceſſitas fert, quam diutiſſimè famem tolerare ſine detrimento poſſunt, idque non extraordinariè, pro certa corporis temperie, quæ quibusdam tantum in ſua ſpecie individuis competat; ſed ordinariè, pro naturali ſua, quam in ipſa creatione rerum à ſapientiſſimo Conditore nacta ſunt, conſtitutione. quod dilucidius apparebit, tantoque majorem inveniet fidem, ſi unum & alterum, quod in hujus animalis ſtructura conſpicitur, penſitemus. Potiſſimum illius partem faciunt pulmones, ſubtilem membranam referentes. Pridem hoc ſuo
H. N. 11. 37. teſtimonio firmavit *Plinius: Chamæleoni pulmo portione maximus, & nihil aliud intus.* Obſervavit hoc etiam ex ejus ſectione
l. cit. *Peireſkius: pulmo inflatus abiit in membranam tenuiſſimam, toti anima-*
l. c. *li ambitu æqualem.* A quibus nec *Anatomici* diſſentiunt *Pariſienſes.* Sic pariter ex eo, quod *Scaliger* ſcripſit, ventrem ei turge-
l. c. re, *Faber* colligit, quam maximo pulmone conſtare, eoque per ipſum ventrem deſcendente; atque hac in parte ei confert teſtudinem marinam à ſe diſſectam, cui quoque non in thorace, ſed in ventre inferiori, ſub ipſo diaphragmate, ſiti fuerant pulmones. Sed & aliud ab eodem fuit notatum non minus curioſum: *De duobus Chamæleontibus miratus non parum fui, dum ventrem adhuc tumidum à tot poſt mortem annis vidi, & contrectavi, quando viſcera ibi reperiri ſolita hoc minus efficere queant, cum hepar non admodum magnum habeat &c. quæ res me cogit ferme, ut pulmones in ventre inferiori ipſi aſſignem.* Hunc itaque pulmonum ſitum & magnitudinem, cum pene propria ſint huic ani-
ap. Fabr, l. c. mali, conſiderans *Bellonius*, non absque ratione dicit in cauſa eſſe, ut ab eo fames diutius feratur. Saltim inde commentum

de

de perpetua inedia cepit aliquam speciem, quemadmodum ex Theophrasto notat *Lorinus: Ex Theophr. colligitur duplicis illius proprietatis ratio, de coloris varietate, & abstinentia, quoniam parum abest, quin pulmo totum corpus repleat, ac proinde dum auram captat, consectaturque avidius, eâ sola vivere putatur.* Comment. in Levit. 11. 30.

§. 28. Deinde non parum arguit defectum assumtionis externi visibilis alimenti, quod animal hoc ab antiquis & recentioribus ut macilentum exhibetur, & propemodum exsangue. *Aristoteles* in ejus descriptione, *carnem*, inquit, *nusquam, nisi in capite, & maxillis, & extremo caudæ admodum exiguam possidet: nec alibi sanguinem, quam in corde, & oculis, & loco à corde superiori, & venulis hinc tendentibus, verum nec in illis quidem ulla copia, sed pauxillum habetur sanguinis.* Hist. anim. 2. 11. *Tertullianus* (qui ex Africa oriundus non obiter hanc bestiolam novisse videtur) ita depingit. de Pall. c. 3. *nec succus est corpori, quod minutioribus multo liquet. i. e. ut explicat Rigaltius,* cujus liquore minutiora multa animalia non carent. Annot. ad Tertull. Et paulò post: *Chamæleon pellicula vivit.* i. e. etsi nihil sit aliud quam pellicula, tamen vivit. His consentit citatus supra *Bremondus*, dum vocat animalia macilenta & carne exuta. Sic, quod sanguinis paucitatem attinet, eandem in illo, qui Darmstadi sectus fuit, deprehensam notat *Fr. Nidermaier.* licet aliud hac in parte obtendant Anatomici Galli. v. Ephemer. Erud. T. 5. p. 39. Quorum & hæc singularis observatio fuit, Chamæleontem non minus figuram mutare, quam colorem, & interdum apparere valde pinguem, hora verò præterlapsa tam macilentum, ut non nisi pelle obductus videatur.

§. 29. Denique tardigradum & ignavum hoc animal à plerisque agnoscitur. *Aristoteles: Motus ei piger admodum, ut testudini est. Tertullianus* comparat cum testudine Pacuviana, & paulô post ita graphicè describit: *hebes, fessus, vix à terra suspendit, molitur incessum stupens & promovet, gradum magis demonstrat, quam explicat, iejunus scil. semper & indefectus.* Ubi causam hujus lentoris conjicit indefectum alimenti. Non id quidem vulgaris evincit lectio, quam modo dedimus, sed illa, quam exhibuit *Mercerus*, ultima verba legens, *indefessus*, ut sit sensus: *Chamæleontem semper jejunum, atque ex ea causa fessum, ut gradum*

Promovere non possit. quantumvis moliatur. Nec taceri tandem debet frigida Chamæleontis temperies, quam *Breuningius* memorat. Supra autem notatum, frigida diutius sine cibo vivere
l. c. c. 11. posse. Id quod inter alios *Pechlinus*, de hac abstinentia verba faciens, admonuit: *Huc pertinent animalia, quæ quod frigidissimi sunt temperamenti, spirituum & sanguinis, atq; hinc solidorum motum habent tardissimum.* quod in seqq. speciatim de testudine marina, echino, salamandra, lacerta ostendit. Quæ omnia, si præsertim junctim sumantur, evidenter demonstrant, peculiarẽ prorsus esse bestiolæ hujus naturam ac proprietatem, multumque dispositam esse ad inediam longi temporis sustinendam, quantum de nullo vel paucis cæterorum animalium, ea saltem certitudine, cognitum hactenus fuit. Et licet eandem prærogativam etiam hominibus concessam fuisse, superius allatis testimoniis evictum sit, id nihilominus discriminis intercedit, quod à solito naturæ hominis processu devia sint, adeoque rarius compareant illorum exempla, & è multis millibus vix unus, ad ferendam talem inediam idoneus, fuerit repertus; cum ex adverso toti Chamæleontum speciei hoc naturæ beneficium obtigisse videatur, ut diu perquam, & forte diutius, quam hactenus compertum est, sine assumpto victu vitam trahere possit.

§. 30. Hoc unicum ergo disquirendum adhuc restat, num in Chamæleonte, quando per aliquot menses, vel annum & amplius ab assumendo exterius cibo cessat, nutritio prorsus deficiat. Ad quod ita respondemus; primò nutritionis aliquid fieri, sed perexiguum & lentum, dum nimirum assumtum semel alimentum diu secum retinent, nec insitus calor nativus (seu fermentum, aut humorem acidum, aut quomodocunque appellare libeat) tanquam valde remissus, solidum, quod depascat, requirit. Secundò nutriri quadantenus humore suo intrinseco, cujus pertinacem minusque dissolubilem constitutionem habent. Tertio aërem quoque, variis corpusculis & halitibus mixtum, contribuere aliquid ad nutritionem, & refectionem hujus animalis, quippe quem non ut alia viventia, tantum ad respirationem hauriunt, sed pulmonibus totoque

adeo

adeo corpore largè collectum, tenacius retinent. Non quidem nescii sumus, quid plerumque regeratur, aërem nempe ad nutriendum corpus animale prorsus ineptum esse, quia non possit restaurare calidum innatum ob dissimilitudinem, non possit converti in substantiam corporis viventis: præprimis autem carnis & sanguinis, quæ in Chamæleonte reperiuntur, nullam tum fore causam. Nihil enim nobis officiunt, tum quia non diximus, ex solo aëre Chamæleontem nutriri, tum quia potest utique aër pituitoso humori hujus animalis, qui pro pabulo est calori, aliquid addere. Ad objectionem, si quis diceret, *sanguinem à primo ortu esse*, ita quidem respondet *Voigtius*: *Esto: sed unde sanguis ille Chamæleonti communicatus? quæ ejus causa? num parentes? sed hi efficientes sunt. Quæ materia? non alia quam cibus.* l. c. p. 161. Quid si vero sententiam aliquis arriperet *Alexandri Aphrod.* relatam ab *Averroe*, viventium corporibus ex assumtis accedere omninò novam materiæ portionem, priorique adcrescere, illam tamen materiam, quam initio subiit anima, eandem absque omni dispendio perseverare, nec interire, nisi post mortem: atque eam ipsam potissimum pertinere ad viventis constitutionem, vel essentiam. Sed huc quidem nolumus jam devenire. Dicimus tantùm, argumentum istud oppositum esse illorum opinioni, qui aërem solum & unicum constituunt alimentum.

§. 31. Ne vero fulcris suis destitui patiamur nostrum assertum, consentientes producemus doctos aliquot viros. Et in his primùm Cl. Medicum, ac in Academia Chilon. Professorem, *Jo. Nic. Pechlinum*, qui de Chamæleonte: *abstinentia à solidis in animali illo incredibilis, id quod nonnullos etiam impulit, ut dicerent animalculum hoc solo aëre victitare: revera meo quoque judicio victitat aëre, is enim ipse in corporis essentiam ingreditur, & mira sui undulatione & repercussione flexus illos, & colores tam varios repræsentat. Insecta autem sive muscæ non aliter solidis vivunt, quam ex occasione, potissima alimenti parte aëre debita. Quis verò etiam ambigat, utrum partes aliquæ solidæ, imprimis salinæ, reparari ex athmosphæra hac possint; quandoquidem manifestum sit hunc aërem, tanquam universale menstruum, terræ, & omnis generis salium ramenta in se absorbere, & invitante sic corporum figura denuò reddere.* De aer. & alim. def. c. 11.

re. Mihi quidem id adeò probabile visum, ut existimem motu illo volubili, quo aër corporum superficies blandè solicitat, tam facilè aliquid agglutinari fibris solidorum atque ipsius sanguinis posse, quam detrahi. Ante hunc verò *Arn. Senguerdus*, insignis in Batavia Physicus & Medicus, disertis verbis hoc est professus: *Cum enim in aëre manna generetur, ex halitibus & corpusculis in altum assumtis, & manna, si non omnis, aliqua tamen illius species, ad nutritionem ipsius hominis apta sit; non videtur præter rationem esse, ut ex simili materia generetur alimentum commodum Chamæleonti.* Et utroque prior *Franc. Patritius*, aërem existimat, cujus haustu Chamæleon & Manucodiata vitam tolerant, condensari, sive, ut ipse loquitur, corporescere, atque sic ad nutriendum habilem reddi. quod minus mirum putat, quam ex duobus adamantibus, ceu sexu distinctis, alios ejusdem generis, aëre primum in aquam, deinde hac in congruam adamanti substantiam conversa nasci. Certè Joh. Pincier, cum rarum illud natuæ opus in adamante notasset, fidenter hæc subjicit: *I nunc incredule, & dubita Manucodiatam tota vita: Chamæleontem aliquot mensibus non alio quam aëris alimento vesci.* posset huc referri condensati aëris exemplum, quod ab animalibus in aëre generatis, aut frustis carneis, imò etiam sanguine, quæ singula nonnunquam cum pluvia deciderunt, petunt, atque inde vim aëris nutritivam inferunt, *Manardus* & *Augenius*, quorum verba linguâ sibi vernacula proponit *Imperialis: Ne esser assurdo, che si come dall' essalationi si generano nell' aria animali, o masse di carne, & anco sangue, ogn' un de quali s'ha veduto tal volta esser piovuto; come vide il Nipho il sangue in Sessa sua patria, il che confirma anco il Magno Alberto; cosi dell' istessa inspirata nè corpi si possa dall calor proportionato del core, generar sangue proprio per la nutritione humana.* Sed cum hæc serra aliis sit reciprocata, & quædam ex allatis exemplis supernaturales potius causas agnoscere videantur, nolumus huc immittere nostram falcem. Duorum adhuc assensu, ut cœpimus, nostram sententiam muniemus. *Fr. Nidermaier*, diligens Chamæleontis inspector, cum intestino ejus aperto aliquid instar materiæ excrementitiæ nigricantis, ad viriditatem tendentis, absque ullo tamen fœtore, repertum

Marginal notes: Exerc. Phys. 39. — Discuss. Peripat. Tom. 1. l. 3. — v. Rucus de gemm. 1. 1. — Ænigm. l. 2. æn. 36. — Nott. Berich. l. 1. c. 19. — Ep. supr. cit.

tum esse dixisset, ita pergit: *utrum fuerit excrementum ex muscis, quas præteritis mensibus comederat, & pauxillis quidem relictũ, an ex humidiori aëre attracto, collectum, atq; compactum, hoc ego aliis enucleandum relinquo.* Idem paulò ante notaverat, vix 4. aut 5. mensium spatio sexies vel septies factum, ut Chamæleon caperet muscam, quibus seqq. subnectit: *Propterea non absurda omnino conjectura diversi anthores ducuntur, cum Chamaleontem ex aëre vivere autumant. Quod equidem, ut absolutè non est verum; sic consideratione dignissimum judico, quomodo hoc animal ex unica musca, tanto temporis tractu, plurium non solum dierum, sed unius atque alterius etiam mensis spatio, sufficiens haurire nutrimentum potuerit.* agmen claudat *Joh. Faber.* animalium exoticorum præclarus enarrator, & celeb. Lynceorum Societatis membrum: *plurimi solent elabi dies antequam simili præda (musca) fruatur. quo tempore aëre solo ut sustentetur, credere par est.* Hæc inpræsens sufficiant. neque enim ad Hermeticorum Scholas, qui de occulto aëris cibo, sale quodam volatili, multa dictitant, sed quam vera, ipsi viderint, excurrere nobis, vel temporis vel instituti ratio permittit.

de Anim. Mex. p. 725.

Soli DEO Gloria.

